



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Decretum. V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

## Decretum. IIII.

De commemoratione p mortuis. Tit. quæ ad diuin. offic. pert. §. In sy nod. pa. 173.

EDICIMVS præterea ex decreto Concilij nostri Prouincialis quinti; cras p sacerdotibus, & clericis, qui post proximam synodum obierunt solennem commemorationem fieri.

Decreti synodalis formula de professione fidei, paulò ante in synodo sexta enucleatè præscripta est.

## Decretum. V.

De promulgatione decret. Trid. Conc. de re fidentia.

Sess. 6. & 23. de re for. c. 1.

ECCLESIASTICÆ disciplinæ & tuendæ & restituendæ ratio in eo præter cætera posita est, vt personalis residentia munus ipsi præstent, qui ecclesiastica beneficia, præsertim cum animarum cura coniuncta, obtinent. Ideo hoc de genere sacra œcumenica synodus Tridentina decreta duo fanciuit, vnum Paulo Tertio, altero Pio Quinto Pontificibus maximis.

Quæ duo decreta quò frequentius hominum mentibus infixæ, nulla aut obliuione, aut desuetudine abolerentur, in omni Concilio, nõ solum prouinciali, sed diocæsano promulgari iussit.

Quamobrem ea ambo ad Tridentinæ sanctionis illius præscriptum in hoc nostro diocæsano conuentu euulgari, & de suggesto pronunciari mandamus.

## Decretum. VI.

De promulgat. constit. de clericis male promotis. Bolla edita 18. Cal. Decemb. 1461. Tit. quæ ad ord. sacra. pag. 91.

De promulgat. constit. de Confid. edita Cal. Jun. 1569. Prou. 3. vti.

SANCTIONEM à Pio Secundo contra clericos editam, qui sine canonica dispensatione extra stata tempora ante legitimam ætatem se ad aliquem ordinem prouehi procurauerint, legi volumus ad præscriptum Concilij nostri Prouincialis tertij.

## Decretum. VII.

DE confidentijs cõstitutionem, quã Summus Pontifex Pius Quintus edidit, quotannis in synodo diocæsana de scripto recitari, prouinciali decreto iussum est.

Ideo illam à Cancellario de suggesto legi mandamus.

## Decretum. VIII.

De promul. de re vi. & honest. clerice.

QVALES eos esse oporteat, qui diuino cultui sacrisq; mysterijs consecrati sunt, cœlestis magister Christus Do-

minus docuit illis verbis: [ Vos estis sal terra ac lux mundi. ] itaque nihil illos agere, nihil gerere, nihilquæ præferre oportet, quod non simplex, castum, integrumq; sit; vt modestiæ, morum sanctitatis, ac virtutum denique omnium cæteris exemplum, quasi lumen aliquod ipsi præbeant.

Quare clericorum animis nihil frequentius infigi oportet, quàm canones, decreta, constitutiones, de vitæ honestate eorum sanctitas.

Et quoniam eo de genere in Concilio Prouinciali primo certas & explicatas rationes præscripsimus, illas vobis in hoc diocæsano conuentu de verbo ad verbum publicè repeti volumus, quò diligentius exequamini, quæ ad vestri ordinis dignitatem pertineat.

Primo die synodali sub vesperum orationis mentalis in quinque partes distributa, his verbis enunciata.

1 **F**RATRES charissimi. Toto pio affectu orate pro sanctis. D. N. Gregorio Papa Decimotertio: vt eum Deus Spiritu sancto suo in salutari gratia cõseruet, gubernet, dirigat, ac defendat.

2 **F**RATRES charissimi. Toto cordis affectu orate: vt inclinet Deus ad precibus humilitatis nostræ aures misericordie suæ, & in protectione Ecclesie suæ sanctæ antiqua brachij sui operetur miracula: ita vt hostium audacia dextere diuinæ auxilio prostrata, pacis tranquillitate fruatur, & in laudibus misericordie diuinæ incessabili exultatione letetur.

3 **F**RATRES charissimi. Toto cordis affectu orate pro Serenissimo nostro Rege Catholico Philippo: vt desideria in eobona Deus quotidie multiplicet: arma cœlestia eidem tribuat; quibus protectus, aduersantium conamina cõfringat, commissaq; culturarum gentium gubernacula, iure pietatis in perpetuum tucatur.

4 **F**RATRES charissimi. Toto cordis affectu orate; vt Deus regnorum omnium protector, in Portugallie regnum charitatem pacis infundat, cœlestiq; benedictione prosperum ac felicem rerum successum dignanter attribuat.

5 **F**RATRES charissimi. Toto cordis affectu

Tit. eod. p. 15.